



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

ANNOT. IN HIOB

Percutiet te Deus amentia &c. Psalm. 106. Errat
 facit eos in inuitio, nō in uita. Esa. 19. Principes fecerunt
 errare populū Aegypti in omni opere eorū, sicut er-
 rat ebrius & uomens. His omnibus disce ē solo Deo
 fortitudinem, sapientiam & consilium petenda esse.
 Nam hęc dona, nō maioribus, nec ulli hominū statu
 ueluti hereditario iure Dominus concessit, sed sibi so-
 li retinuit, distribuens unicuiq; pro ut uult. Promde,
 nunc senioribus aufert prudentiā, & largitur iunio-
 ribus: nūc iunioribus aufert fortitudinem, & dat se-
 nioribus: nunc cōtempribilē reddit principem: nunc
 rursus honori eum restituit, ut nobis fidem faciat, se
 solū fortē, prudentē & sapientē esse.

CAP. XIII

ECCE omnia hęc uidit ocul⁹ meus, au-
 diuit auris mea, & intellexit ea.

Aeque & ego quæ uos scitis, noui, nō
 uobis minor sum.

Veruntamen ego contra omnipotentē
 loquar, & arguere Deum desydero,

Vos uero compositores mendacii, &
 uani medici omnes estis.

Quis dabit, ut taceretis, & uiderenini
 sapientes?

ECCE HAEC OMNIA VIDIT OCULUS

LV S MEVS. Hoc est, nō minus uobis cognita est
 mihi sapientia & fortitudo Dei: scio Deū sapientē, Iudicio pressi
 scio fortem, scio iustum, nihilominus tamen aduersus arguere Deū
 Deū loquar, et arguā eum, id est, deus reprehēibilis solent.

mibi uidetur, propterea, quod imerito cura ullā impie
 tatis notā adfluxerit me. Quod uero putet Hiob, Deū
 reprehensione dignum, grauitate iudicij extorquetur:
 ceterum, quod firmus confiteatur, se citra impietatis
 casum adfluxit, Euangelij confessio est, quo credēs,
 sanctificatur. Proinde, si crucem suā nō sanctam, sed
 peccati pœnam confiteretur, Euangelion abnegaret.

VOS VERO COMPOSITORES & c.

Id est, nō ego mentior, innocentia meā fide para-
 tam, adserendo: sed uos potius amici, falsa crimina
 inuitantes, & iusticiam Dei carnaliter interpretātes.
 Primum arguuntur amici mēdactorū, quod ex ueris, fal-
 sa colligant, uera enī de iusticia et sapiētia dei loquun-
 tur, sed falso & carnaliter interpretātur. Deim, arguū-
 tur uanæ consolatiōis, & præposteræ nā quū adces-
 serunt ad consolandū Hiobem, suis mēdacijs & mul-
 ti loquō, nouus sit morbus, ut habet cōmune puer-
 bium: medicus loquax nouus ægroto morbus est.

QVIS DABIT VT TACERETIS.

Id est, sapientes iudicaremīni, si modo stultitiam
 uestram, sermone non proderetis, Prouerb. 17. Stul-
 tus si tacuerit, sapiens reputatur. Scribit & Plutar-

ANNOT. IN HIOB

chus $\pi\delta\iota$ $\xi\theta\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ Megabysum Persen, cum in officinā Apellis aliquando conscendisset, loqui nesciens quid, de arte pictoria cœpisset: huius ineptias non ferens Apelles, priusquam, inquit, sermone te pderes, nonnullam de te opinionem dedisti, auro scilicet isto, cum purpura silentium honestantibus, nūc uero officinarii, etiamnum pueri, qui pigmenta mihi terunt, tua ista blateramenta rident.

Audite obsecro correctionem meam, & iudicia labiorum meorum animaduertite.

Nunquid pro Deo loquemini iniquū, & pro eo pronuntiabitis dolum?

Nunquid faciem eius respicietis, aut pro Deo contendetis?

Nunquid impune feretis, cum explorauerit uos? an sicut deluditur homo, deludetis ipsum?

Arguens, arguet uos, si in abscondito faciem (eius) respexeritis.

An non strepitus eius terrebit uos, & formido eius cadet supra uos?

Memoria uestra comparabitur cineri in lutum ceruices uestræ deicientur.

AVD.

AVDITE OBSECRO Id est, animaduer-
 titie nos amici, summam causse meæ, et in quo uos re-
 prebendam: non arguo, quod dominum iustum &
 sapientem prædicetis, q̄s enim ista, aut argueret, aut
 non commendaret? sed hoc reprehendo, quod in Deo
 fingitis carnalem quãdam iusticiam & sapientiam:
 excusatis Deum, sed iniquitate & dolo, quasi uero
 Deitas, mendacijs egeat, ut confirmetur, & sa-
 pientia eius hypocrisi excusetur.

NUMQUID FACIEM EIVS?

Frequetes illæ interrogatiões, uehementiæ & re-
 prehensionis adcommodatissimæ sunt. Porro, faciem
 Dei respiciunt, quotquot carnaliter iudicant de sapi-
 entia & iusticia eius, seu propter sapientiam & iusti-
 tiam, mendaciter Deum excusant: nam in lege præ-
 cipitur, ut in iudicio nõ respiciamus personas, hoc est
 ne personam iudicio propositam, iudicemus iuxta po-
 tentiam, eloquentiam, prudentiam, diuitias, amicitia-
 m, inimicitiam, benefacta, & malefacta eius imper-
 tinentia, sed iuxta causam, unde nec Deus persona-
 rum respector est, nec in electione, nec in iudicij exe-
 cutione. Electio est in Esau & Iacob nondum natis. Deus non re-
 spectit perso-
 nam. quod si in hac electiõe personã respexisset, citius ele-
 gisset Esau primogenitũ, et maiorẽ, quã Iacob mino-
 rem: causa aut sola respicitur, quæ est in electiõe uo-
 luntas, seu beneplacitum Dei. Executio iudicij siue

ANNO T. IN HIOB

sententia decreta est: qui bene egerunt, ibunt in vitam
 æternam, qui uero male in ignem æternum: hic si per
 sonam respiceret, potius dixisset: qui diu, qui potenter,
 qui sapienter uixit: non autem refert, quàm diu
 potenter & sapienter, sed quàm bene uixeris. Iam ut
 ex persona humana, causam hominis iudicare non li
 cet, ita nec ex persona Dei, de causa eius cum Hiob
 quicquam pronunciare oportet: non enim propterea
 Hiob, merito peccati punitur, quod Deus iustus et sa
 piens est: nam hæc est carnalis, de iusticia et sapientia
 Dei cogitatio, & personæ respectus. Sic solemus de
 hominibus iudicare: hic iustus est & illum punit, ille
 igitur poenã suis flagitijs meritus est. Proinde, ita po
 tius de Deo philosophandum fuerit, ut confiteamur
 eum in uase misericordiæ, esse misericordem, qua do
 nat fidem, peccata & impietates expurgantem, et cor
 ram suo etiamnum aspectu iustificantem. Sed præter
 quàm, quod misericors sit, inuenitur & sapiens, & ius
 tus & potens: quia sapiens est, igitur iustificatum,
 cruce & adflictione explorat, ut cognobile fiat opus
 eius, & in lucem producat: sapientis enim est, lu
 cem non uereri: qui male agit, inquit Christus, odit lu
 cem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius: qui
 autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspi
 cua fiant facta ipsius quod per Deum facta sint. Sic
 Dominus operatus est in Hiobe fidem, patientiam, et
 alta bona

alia bona, etiam priusquam eum adfligeret: ne autē
 tanta bona, per Deum in Hiobe facta, obscura mane-
 rent, producta sunt ad lucem cruce, ut supra legis ca. Euangelion
 2. Nam quia Dominus iustus est, igitur non sinit philosopha-
 iustificatos, supra id quod possunt, tentari, est enim tur de Deo,
 fidelis seruansq; promissi, quo suum auxilium oibus & lex.
 periclitantibus pollicitus est. Quia nero et potēs est
 nulli creatura potest eum prohibere, quin ser-
 uent & prestet promissa, atq; hæc est Euāgelij de mi-
 sericordia, sapientia, iusticia & potentia dei philoso-
 phia. Lex aliā habet ratiōē, misericordē deū confi-
 tetur, sed bene agētibus; sapientem, quod, omnia sapi-
 enter creat: iustum, quod peccatores damnet: poten-
 tem, quod omnia deuastet & conculcet &c.

NON QUID IMPVNE FERETIS.

Facile est iustum, sapientem & constantem uide-
 ri, ante conspectum Dei, nondum iudicantis, at re-
 uelato iudicio, perit omnis humana sapiētia et cōstā-
 tia. Amici Hiob, uidentur sibi prudētissime de Deo
 sentire, sed iudicium explorabit, qualis sit eorum sen-
 tentia, ait enim Dominus cap. ult. Non estis loquuti
 coram me rectum, sicut seruus meus Hiob.

AN NON STREPITVS EIVS TER.

Iudicium Dei, strepitus est & formido, quod con-
 quiliat omnes uires, & horrorem incutiat, est et PRO

ANNOT. IN HIOB

phetis hoc peculiare, quod iudiciū Dei futurum, strepitu armatorum adumbrent.

Memoria pij
& impij.

MEMORIA VESTRA COMPARABITVR. Hoc est, nunc uidemini recte de sapientia Dei sentire, sed iudicante domino, peribitis, & deletur nomen uestrū, unā cum prudentia uestra, est autem hæc impiorum fors, quod redeāt in cinerem, & in lutum, Domino suum iudiciū reuelante, & quum de iustis dicatur, in memoria æterna erūt iusti ab auditione mala non timebunt, de impijs scribitur, perijt memoria eorum cum sonitu: & Psal. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, uultus autem Domini super faciētes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Iam de hominū memoria nullus hic sermo, sed de memoria Dei: esse enim in memoria Dei, & coram Deo nō collabi in cineres, hoc opus, hæc fœlicitas est: collabimur enim omnes coram mundo, in lutum & cinerem, pij uero semper coram Domino uiuunt, ut Christus de abraham & Iacob pronunciat.

IN LVTVM CERVICES VESTRAB DEICIENTVR. Id est, adrogantia & superbia uestra peribit. Eadem loquutio est Psal. 7. Conculcet in terram uitam meam, & gloriam meam in puluere deducat.

Tacete

Tacete mihi, & ego loquar, ac nihil
omittam.

Quare lacero carnem meam dentibus
meis, & animam meam pono in manus
meas:

Ecce occidet me, non expectabo, ue-
rumamen uias meas coram facie sua ar-
guam.

Nam ipse mihi ad salutem (erit) non
enim ante ipsum hypocrita uenit.

Audite audiēdo sermonem meum, &
explanationem meam auribus uestris.

Ecce pronunciaui iudicii sententiam
noui quod ego iustus sim.

Quis est qui contendet mecum? sed
nunc tacebo & peribo.

DIVERSA LECTIO.

Vbi Hebraeus habet **הו יקטלני לא אחל**
Graecus legit **ἐάν με χερσὶν αὐτοῦ ἔπι-
λάσῃ** id est, si me cōprehenderit potēs, quā
doquidem **ε** cepit: nam pro **אחל** Graecus inter-
pres legit, partim **אירבה** id est, potens uel potero:
partim à **הל** (i. cepit) deduxit. Vetus transla-
tio habet, etiam si occiderit me, in ipso sperabo: sed
interim ubi in hac tralatiōe manet **ל**? Proinde sic

ANNOT. IN HIOB

ex Hebræo transferri debet, ecce occidet me, non exspectabo, hoc est, tantus est dolor, ut præ oculis uideam mortē, præ doloris tamen magnitudine, expectare mortē non potero, donec uenerit: mallē hoc ipso momento perire, quàm tantos cruciatus ferre.

TACETE MIHI, ET EGO LOQVAR.

More suo Iob digreditur, ad recensendā diuini iudicij grauitatem, dicens: animaduertite interim o amici, dum recenseam animi mei sententiam. Quid mihi profuerit, ut maxime omnem moueam lapidē, & omnia tentem, cum tamen mortem mihi iminere uideā, nec liceat præ doloris grauitate, tardū mortis aduentum expectare, omnis mora mihi lōga est, hoc unum meum est uotū, ut maturet interitus, usq; adeo pressus, dolco. Porro lacerare carnes dēibus, Lutherus interprete, est se ipsum adfligere, dolere, ingemiscere & corde angī: ponere aut animam in manus, est uaria discrimina subire, multa tentare, & omnem mouere lapidē. Eandem loquutionē habes 1. Reg. 28. dixit Phitonissa ad Saul: posui animā meā in manu mea, id est, propter te subijuitæ periculū: et Psal. 118. Anima mea in manibus meis semper, id est, semper periclitor, quia posuerunt peccatores laqueū mihi. Vides aut ex hoc loco, grauius esse iudicium, & horrore mortis ferre, quā ipsam mortem, mori enim non est graue, propterea quod hoc ipsum in quouis, siue

Lacerare carnes, quid.

Animā in manum ponere, Hebraismus.

siue precedat morbus, siue non, ut in epilepticis, subitaneum est, ut etiam Ethnici disputant: audire uero in conscientia mortis iudicium (scilicet oportet te mori) hoc denique grauissimum est: hanc uocem nullus hominum citra desperationem audire potest, nisi dominus uocem suam dicat animæ nostræ: salus tua ego sum.

VERVNTAMEN VIAS MEAS CORAM FACIE. Vel tandem adparet, spes in Hio- be non prorsus periisse: nam in pijs iudicio Domini electis, sibi alternis succedunt, desperatio & spes, tandem in desperationem cõijcit, ut agnoscamus uires nostras nullas esse, & perditionem esse nobis: Verbum prorsus in spes erigit. Quale Verbum? promissio, quæ est Christus omnium promissionum ἀμὴν καὶ ναὶ. Vnde Eioh ait, arguam uias meas in conspectu Dei, agnoscam me peccatorem, et Dominus mihi salus erit, est enim promissio: Salus tua ego sum. Hypocritæ uero sua peccata non agnoscentes, sed sese iustificantes, diuina salutis expertes manent: nã bona Dei nõ communicantur saturis & fastidientibus, quales Hypocritæ sunt, qui quæ statuant propriam iusticiam, iusticia Dei non sunt capaces. Diuina aut iusticia implentur, quotquot sunt cõtribulati spiritus, iusticiae uacui peccatis pleni, & ueram iusticiam sitientes: super quem, ait Dominus, respiciã, nisi super humilem & tremulentem sermones meos? sed qui conuenit, quod

Hiob agnoscit
peccata, &
tamen iustus
est.

nunc Hiob agnoscat & arguat peccata sua, coram
minimo: cum antea uel ad nauseam usque, innocentiam suam
amicis inculcauerit, & immerito se ad afflictum praeser-
cauerit? Respondeo: Hiob hoc loco, non agit de ad-
flictionum ratione, aduersus amicorum opinionem, sed de
respectu diuino, & natura hominis: omnes enim homines
natura sunt filii irae, et nullus eorum in conspe-
ctu Dei iustificatur: sed rursus per fidem, omnes crea-
dentes, ex filiis irae, fiunt filii gratiae: & ex peccato-
ribus, iusti: ut idem homo, & peccator & iustus sit:
peccator natura & iudicio Dei: iustus, fide, & mi-
sericordia Dei. Itaque cum Hiob peccata sua confitetur:
ad iudicium dei, coram quo nullus iustificatur, respicit,
cum uero innocentiam suam adserit in falsa amicorum
crimina, & fidem sanctificantem oculos dirigit.

ECCE PRONVNCIA VI IVDICII SEN-
TENTIAM. Vide pugnancia, iam dixit se argutu-
rum uias suas, in conspectu Dei: nunc uero de seipso,
tanquam iustificato, sententiam fert. Sed quomodo conueni-
ant, modo dictum est, nam unusquisque per fidem rena-
tus, est gemellus, carnalis & spiritualis. Adamicus et
Christianus. Exterior & interior. Iam si Dominus re-
spiciat iniquitates, carnem, Adamum, e quo nati sumus
nemo sustinebit eius iudicium: si uero respiciatur fides
spiritualis, & internus homo, nulla est condemnatio,
etiam coram Deo, his qui insunt Domino Iesu Christo,

QVIS

QUI SEST QUI CONTENDET ME
 CVM? Hoc est, ita irreprehensibiliter & corā Deo
 & corā mundo uixi, ut nemo me de peccato arguere
 possit: fides enim corā Deo iustificat, charitas coram
 mundo. Igitur, q̄ ex fide et charitate uixerit, neminē
 habet, nec i coelo nec in terra, q̄ audeat reprehēdere.

SED NVNC TACEBO &c.

Hoc est, quanquam recte, iuxta fidei & charitatis
 rationem uixerim, ut infra capite 22. nihil tamē mihi
 hinc innocentia mea prodest: cogor enim in tama
 horrendo Dei iudicio, tacere & perire. O miseria, o
 calamitas, o angustia, ubi nec iustissima uita prodest.
 Est autem & hęc desperationis uox.

Veruntamen duo ne facias mecū, tūc
 a facie tua non abscondam (me.)

Manum tuam a me longe fac, & hor-
 ror tuus non terreat me.

Et uoca, tunc ego respondebo, uel lo-
 quar & responde tu.

VERUNTAMEN DVO NE FACIAS.

Redit Hiob parumper à desperatione, in spei uia
 que est oratio: deprecatur enim duo, præ quibus ne-
 mo corā Deo cōstare potest, citra mediatorē: alterū
 est, grauis afflictio: alterū est, ira Dei, planē idem
 cū eo quod Dauid ait, Psal, 6. Domine, ne in furore

ANNOT. IN HIÖB

quo arguas me, neq; in ira tua corripas me: nam filius et homo, citra medium reconcilians committunt. oportet ut homo præ diuino iudicio, pereat: quia Deus sit immensus, sed homo dimensus: Deus summa iusticia, homo summa iniquitas: Deus lux, homo tenebræ: qui aut conueniunt iusticia & iniquitas, lux & tenebræ? Proinde Domino adfligente, maior fit adflictio, quã ut ferri possit, & eo irascente, grauior est

Mediator inter Deum & hominẽ Verbu Dei, Christus.

ira, quã ut sedari queat. Quod si uero, inter Deũ & hominẽ, interueniat mediator, qui est Verbu Dei, Iesus Christus, tũc & adflictio sustineri, et ira sedari potest. Igitur cũ Hiob hæc duo, adflictionẽ & irã deprecatur, mediatorẽ & intercessorẽ precatur, nam præsentẽ mediatorẽ, qualis est supra cap. 1. & 2. ibi Hiob constantissimus & patientissimus est in omnibus adflictionibus, non solum non indignans, uerum etiam benedicens Dominum. Ablato uero mediatore, ut est cap. 3. quas adflictiones antea patientissime, cũ benedictione Domini tulerat, eas postea fere indignabundo & blasphemio animo: usq; adeo optime inter Deum & hominẽ conuenit, in grauissimis etiã calamitatibus interueniente mediatore: rursus pestime, eo ablato & ex oculis erepto.

ET VOCA, TVNC EGÖ RESPONDEBO. Hunc uersum pertinere ad priorem sententiam, non ad sequentia, Græcus indicat, qui ita trãstulit.

lit, ei tã ka
λαλασει
id est, poste
ris, & ego
sua uita sau
me abuler
tum exhorre
de enim per
Dei nobis
Christum,
sua Deum
ipse uari a
hunc audite
Christum, s
adactã &
ad Hiobem,
erat maxim
Adam, ad A
reuelatus n
di, manifest
arbitrium,
dico Dei co
Christi, qu
mento.
Quãta
keleza n

ἢ ἰτα καλέσεις, ἐγὼ δέ σοι ὑπακούσομαι, ἢ
 λαλήσεις ἐγὼ δέ σοι δώσω αὐταπόκρισις
 id est, postea uocabis, & ego tibi obediam, aut loque-
 ris, & ego tibi dabo responsionē: est aut̄ sensus, si tu
 sus mihi saueas, & iram tuam, reddito mediatore, a
 me abstuleris, non est quod porro, aut tuum colloqui-
 um exhorrescam, aut tu colloquentem me repellas, si a
 deo enim per Christum, & nos Deo colloquimur, &
 Deo nobis. Nam quod Deus nobis colloquatur, per
 Christum, Ioannes testatur, dicens: Nemo unquam
 uide Deum, filius unigenitus, qui est in sinu patris,
 & se enarrauit: & alibi, Hic est filius meus dilectus,
 hunc audite. Quod uero nos Deo colloquamur per
 Christum, scribit Paulus Ephes. 3. Habemus per eum
 aditum ad Deū, cum fiducia. Sed quid hæc Christus semper
 ad Iacobem, cuius tempore Christus nondū reuelatus per fuit fidei
 erat, maxime omnium ad eū pertinet: nam quanq̄ ab manifestus
 Adam, ad Augustum Cæsarem, Christus extrinsecus
 reuelatus non fuerit, semper tamen, ab origine mun-
 di, manifestus fuit fidei: neq; unquam quis uel patri- A p̄oc. Agnus
 archarum, uel prophetarum iustificatus est, aut in iu- ab eterno cō-
 dicio Dei constituit, nisi interueniente sanguine agni sus.
 Christi, qui occisus est, à recens iacto orbis funda-
 mento.

Quātā mihi iniquitates & peccata sunt
 scelera mea & peccata mea ostende mihi.

Q

ANNOT. IN HIOB

Quare faciem tuam abscondis, & re-
tas me inimicum tibi?

Quid est quod folium proiectū terre
& stramen aridum persequaris?

Quid scribas mihi amaritudines, & de-
stes me propter peccata adolescentiæ meæ?

Et ponas in neruo pedes meos, & custo-
dias omnes semitas meas, ac uestigia pe-
dum meorum consideres.

Et ipse ego (consumor) sicut putredo
computrescit (&) sicut uestimentū quod
comeditur a tinea.

QVANTAE MIHI INIQUITATES

Rursus Hiob aduersus Deum contendit, admirans
super eius iudicio, quod citra culpam grauissime pius
adfligat, quoniam inquit non sentio, nec dolorem meum
minuat, nec iram tuam sedari: enarra mihi quaeso, quæ
tanta sint peccata, & scelera mea, propter quæ tam
grauiter me crucies, & abscondas faciem tuam: repu-
tans me, quasi impiū & aduersarium tuū, quid com-
misi? quando nullius criminis mihi conscius sim, uel
enim foliū foras proiectū, ab hominibus conculcatū,
& quasi stramen aridū sum, quid igitur tanta potētia
tantis machinis, me persequeris? an forte cōputas pec-
cata adolescentiæ meæ, & ut dicitur, ueterē iniuriam
minu-

Alt schuld
rechen.

iudicatis? At Deus non est talis, qui inueterata peccata, pijs computet, est enim scriptum: Propicius ero Recidua sūt
 peccatis eorū, & iniquitates eorum non recordabor peccata, iudi-
 amplius. tam qui non recordatur peccatorum, quomo cante domino
 do deuo iudicaret? In iudicio uero, ablato mediato-
 re, recunt omnia peccata, tam adolescentie, quam
 senectutis. Vnde & Dauid precatur, Psal. 24. Delicta
 iuuentutis mee, & ignorantias meas ne memineris.
 Porro dicitur Deus faciē suā abscondere, quū nec ex
 orationes nostras, nec ullū beneuolētie signū ex-
 hibet, sed meras adflictiones et mortes ob oculos ponte
ET PONAS IN NERVO PEDEM.
 Id est, cum nihil sim, nisi putredo, uermis, & non
 homo, & consumar, ueluti uestimentum à tineā: mi-
 ror itaq; cur ponas in neruo pedem meum, tantis ad-
 flictionibus & miserijs me obiectans? ut nusq; effugi-
 endi uia pateat, & obserues omnes semitas, ac uesti-
 giā mea explorās, uelut tormentis singula mea facta,
 iudicio enim diuino nihil non est peruium, & omnia
 scrutatur, omnia explorat, ociosa etiā uerba: tan-
 tum abest, ut non facta impia arguat. Qua autē caussa
 nos qui putredo sumus, tam anxie et potenter iudicat
 Deus? Primum hac caussa, ut uel ex iudicio discamus,
 quanta cura in hominem respiciat, si enim multa soli-
 tudine iudicat: quanto maiori, curat & custodit?
 Dein, ut ex iudicio nobis ipsis cognobiles fiamus. Re-

Cur tam acriter
 iudicet
 Deus.

Q 3

stremo, ut discamus timere, & sollicite ambulare,
 Domino Deo nostro.

CAP. XIII.

Homo natus mulieris, paucorum die-
 rum est, & repletur inquietudine.

Sicut flos egreditur, & decidit, & fugit
 sicut umbra, nec perdurat.

Veruntamen super talé aperis oculos
 tuos, & ipsum adducis tecú in iudicium.

Quis dabit purum, ex iis, qui omnes
 polluti sunt?

Nóne breues dies eius, numerus men-
 sium eius, apud te est? terminum eius sta-
 tuisti, & non transibit?

Respice ab eo, ut interquiescat, donec
 percurrerit, sicut mercenarius dies suos.

DIVERSA LECTIO.

Quod Hebræus habet ירצה, Græcus à ἡρέω
 deduxit, quod significat, placuit: sic enim interpre-
 tur ἡρέω δὲ ἡσυχία, id est, & cōplacenciam be-
 beat in uita: cōmodius autem sententiæ uidetur, si à
 ἡρέω deducatur, qđ significat, cucurrit, ut sit sensus
 donec percurrerit, & transegerit uitam suam &c.

HOM
 Pergit H
 grauitatem
 ne imbecille
 tam adurat
 culum, & ta
 tur constant
 et lumine
 dum pamer
 à sua consu
 disprectus,
 gno Breuit
 in clamatū
 in quod ait
 inuicelles &
 dūto: mult
 dūre paritas
 pūlo erum
 suum calam
 case, nō nisi
 si quā erū
 nūrepleatur
 enim est usque
 nos suam cru
 nū crucibus
 uolati, ita ho